

ter expectare; nulla profecto caussa est, quamobrem absolute fastidiamus novam conjunctionem cum corpore. Neque etiam firme licet asseverare, calcariam terram vel ab incognita nobis futuræ nostræ sedis ²⁰ natura utique abhorrere, vel præsentis corporis nostri interiores quoque & reconditas partes, quorsum nec anatomicæ nec chemiæ datum est penetrare, ipsa igitur futuri corporis nostri principia ²¹ continere. Quod autem non perspiciamus, quidnam sit illud, quo Pater, Filius & Spiritus Sanctus inter se differant, nulla certe ipsius, de qua sacræ literæ ²² confirmant, differentiæ negandæ justa nobis caussa esse potest ²³, cum sola etiam ratio deducat ²⁴ nos ad ejusmodi res, quas esse quidem ²⁵ intelligimus, quarum vero ipsarum cognitio capi a nobis non potest, nisi hætenus, ut falsas quasdam opiniones remove, quidque res *non sit*, indicare queamus, licet, *quid* igitur tandem *sit*, vehementer ignorare pergamus.

§. III.

Sed & ii, qui in oppugnanda biblica theologia *moralibus* utuntur rationibus, quas, si recte utaris, magnam in disputan-

20) cf. Doctr. christ. partem theor. p. 191. 193.

21) l. c. §. 61. a).

22) Celeb. Kantius (Rel. innerh. der Grenzen der bloßen Vern. p. 199–208) ad Sabellianam rationem proxime accedit.

23) v. über den Zweck der ev. Gesch. u. der Briefe Joh. §. 97.

24) v. ill. Kantii Grundlegung zur Metaph. der Sitten p. 125. f. Crit. der pract. Vern. p. 243–249.

25) cf. Rel. innerh. der Grenzen der Vern. pag. 198. extr.